

processiones ponant in divinis diversitatem in substantia, sed solum in respectu et relatione prout opposita, licet ipsæ relationes oppositæ, et distinctæ relative, habeant eandem essentiam substantialiter. Et ad instantiam, quod etiam illæ relationes, ut oppositæ, et distinctæ inter se, sunt substantia, distinguo; sunt substantia identice, et realiter in se, transeat; explicite et formaliter sub conceptu respectivo, nego; sub hoc enim conceptu non explicant substantiam, sed ordinem et respectum ut ad alterum; substantia autem dicitur ad se. Unde implicat quod relatio, quæ est substantia distinguatur a suo correlativo seu a relatione cui opponitur in ratione substantiæ, sed in ipso ad, sub formalitate et exercitio ad: nam distinguitur solum ut ad alterum, in ratione autem substantiæ non explicatur nisi ratio ad se: repugnat ergo in substantia distingui vel opponi, licet etiam ut distinguitur et opponitur, in re et identice substantia sit. Itaque illa substantia divina, quia infinita et illimitata est, in se simplex existens entitative, eminenter æquivalet pluribus, et sic continet etiam relativum genus, et non solum substantiale: et unica substantia pluribus relationibus esse præbet, easque constituit in essentia et natura sua, ita quod id quod plures entitates accidentales, et plura in faciunt in relationibus creatis, unica substantia simplex propter infinitatem suam facit in relationibus, quæ sunt in Deo. Et quia de ratione realis relationis est quod sit ad alterum, et non ad se, necesse est quod illa unica substantia pluralitatem relationum sub ratione ad realis contineat, relinquens quod inter se exerceant oppositionem correlativam in ipsa ratione ad: totum hoc enim complectitur substantia infinita, quæ hoc ipso quod præbet

esse relationibus, easque continet, oportet quod in substantia illa sint unum, quia eadem et simplicissima existens complectitur in sua infinita essentia plures relationes, et quod in ratione ad, in qua opponuntur, distinctæ maneat; nec tamen illud ad est fictum aut separatum a substantia et accidente, sed est ad reale realiter oppositum alteri, et realiter distinctum ab eo, et realitates illæ non sunt accidentia, sed substantia ipsa, sed non plures substantiæ, licet plures relationes, quia ut plurificetur realitas relationum, sufficit plurificari oppositiones, et ipsum exercitium ad quod in re est substantia, non tamen ipsa ratio substantiæ multiplicatur, quia hæc non est ad alterum; et cum sit infinita et non limitata et diversa contineat, etiam substantiam et esse alterius relationis; ideo utriusque relationis eadem est substantia, licet realitas respectuum et ad sit multiplex, quia oppositiones illæ dantur in re. Ut autem substantia dividatur, non sufficit dividere et multiplicare relationes, quæ sunt ipsa substantia in ratione ad, seu prout ad alterum, sed etiam in ordine ad se, quia substantia ad se dicitur, licet propter suam infinitatem substantia illa etiam relatio sit, nec tamen divisibilis, ut substantia, sed distinguibilis, ut relatio secundum rationem ad. De quo videatur S. Thomas IV contra gent. cap. XIV, solutione ad VI, VII et VIII, ubi hoc late explicat.

XX. Ad id quod additur de circulo et petitione principii in processionibus et relationibus respondetur, quod processiones divinæ sunt inter extrema realiter distincta, non quæ ante ipsas processiones distincta sunt, sed quæ ipsis processionibus distincta redduntur. Nec committitur circulus distinguendo processiones ob relationes, et relationes ob

processiones: quia proceditur in diverso genere causæ, et sic cessat vitium circuli: causæ enim ad invicem sunt causæ; et demonstratio quæ regreditur a conclusione ad principia cognoscendo conclusionem per diversum medium, non demonstrat idem per idem, et sic non fit circulus vitiosus ut ostendimus in logica, quæst. XXV, art. III. In præsentibus relationibus intra Deum sunt realiter distinctæ, quia sunt oppositæ inter se relative: sunt autem oppositæ quia fundatæ in processione et origine, ubi immediata causa distinctionis est oppositio, et ipsa ratio relationis realis, quæ est ad alterum, et non ad se; remota vero est ipsa processio, seu origo, illamque habet pro fundamento. Cum vero e contra dicitur, quod origo et processio ideo realis est, quia est inter extrema distincta, tunc non assignatur causa totalis, neque causa quæ sit fundamentum, sed quæ sit conditio requisita ut processio realis sit. Causa enim realis processionis est, quia fit per reales actus, et reale principium: requirit autem tamquam conditionem quod extrema sint realiter distincta. Unde non proceditur in eodem genere causæ neque secundum causam adæquatam ab uno ad aliud, et ita non committitur circulus vitiosus.

XXI. Ad primam confirmationem, quod verbum seu species expressa duo facit in nobis. Primum est, reddere objectum intellectum per modum termini, sicut species impressa reddit illud intelligibile per modum principii: secundum est, reddere objectum dictum et locutum, seu loqui et manifestatis illud intra se. Et quando objectum non est in se tantæ immaterialitatis, et spiritualitatis, ut sit suum esse intelligibile, et intellectum, indiget prius formari in specie expressa, et in illa dici seu manifestari (illa enim for-

matio, manifestatio et dictio est) ut ex hoc reddatur intellectum in actu, et sic propter indigentiam objecti, et intellectus formatur verbum, et hoc est dicere imperfectum, quando aliquis ideo dicit ut intelligat, quia supponitur nondum intelligere. Sed tamen dictio seu locutio de se non solum fit propter istam indigentiam, sed etiam post plenam intelligentiam iterum fieri potest locutio, non ad intelligendum vel melius percipiendum, sed ad manifestandum et communicandum id quod intelligit: naturaliter enim intellectus est communicativus et manifestativus, quia lux est. Unde: *Ex abundantia cordis os loquitur*, ut Dominus dicit, et Psal. XLIX, de divino Verbo dicitur: *Eructavit cor meum verbum bonum*, quia sicut eructat os quando nimis plenum est corpus, ita mens ex plenitudine summa loquitur in Deo, non ex indigentia aliqua. Sic ergo dicimus, quod divina natura, ex eo quod est actus purus, in ipso intelligibili esse non producit Verbum ut intelligat, nec ex indigentia aliqua, sed ex plenitudine intelligentiæ; et sic Pater non est sapiens sapientia genita, ut docet Augustinus in VII de Trinitate, cap. I. Negamus tamen quod non conveniat naturæ intellectuali sic perfectæ, et in actu puro producere verbum, et loqui ex abundantia et plenitudine intelligendi: si enim de se intellectualis natura communicativa est, et manifestativa eorum quæ intelligit, et tanto magis quanto magis intelligit: sic enim melius manifestat, sicut lux quæ de se manifestativa est, quanto est plenior, et perfectior; quomodo illa intellectualitas, quæ est summa in intelligendo, non erit maxime communicativa et manifestativa, etiam intra se, et consequenter potest dicere et habere Verbum. Unde dicitur Isai. LXVI: *Numquid*

*ego qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Non ergo intellectualitati, quæ est actus purus, repugnat productio Verbi, non ad formandum objectum in esse intellectuali, et immateriali, sed ad manifestandum et loquendum, et exprimentum id quod intelligit: nec enim qui formavit Verbum, et in ipso formato contemplatur, cessat ibi, sed iterum ex perfecta intelligentia et contemplatione potest loqui, et manifestare Verbo id quod intelligit, quia intellectus noster de se semper manifestativus est et locutivus. Et sic optime S. Thomas dixit in hoc articulo primo, quod quicumque intelligit, ex eo quod intelligit, aliquid procedit intra ipsum, quasi dicat, quod ex hoc quod est naturæ intellectivæ, debet esse productivus Verbi, sive ex indigentia ad formandum objectum et reddendum intellectum in actu, quando per seipsum non est sic in actu intellectum; sive ex abundantia et perfectione, quando solum ordinatur locutio, et productio verbi ad manifestandum et loquendum, non ad formandum objectum et intelligendum.

XXII. Ad id autem quod inquiritur cur Verbum, et Spiritus sanctus non producant aliud Verbum, si quidem habent eandem fecunditatem, respondetur id provenire ex infinita perfectione istarum Personarum, et ex ipso modo notionali quem habent, non ex defectu virtutis et perfectionis, ut docet S. Thomas infra quæst. xli, art. vi. Ex perfectione quidem istarum Personarum, quia si Filius haberet aliud Filium, et Spiritus sanctus similiter vel essent una filiatio, vel distinctæ, et diversæ. Si diversæ, una non haberet id quod alia; et sic neutra esset infinita in sua linea, et in suo

genere filiatio. Unde curreret hic eadem ratio propter quam non multiplicamus in Deo plures sapientias, plures immensitates, plures naturas, quia si multiplicarentur, neutra esset summa, si quidem non multiplicantur ex oppositione, sicut modo Pater et Filius; duæ enim filiationes non essent inter se oppositæ. Si non sunt duæ filiationes, sed una: ergo et unus Filius. Ex ipso autem modo notionali repugnat Filio et Spiritui sancto producere aliud Filium seu Verbum, quia filiatio non potest producere aliud Filium, quia Filius ut Filius non habet aliud Filium, neque generat, sed est genitus, nisi etiam sit Pater. Ut ergo Filius produceret aliud Filium non solum deberet esse Filius, sed etiam Pater, ut scilicet aliud Filium habeat respectu cuius est Pater, quia generat ipsum. Igitur Persona et notio Filii ut pure est Filius, et non aliud quam Filius, non generat. Si autem dicatur quod etiam est Pater, et non habet nudam filiationem, sed etiam paternitatem, inciditur in aliud majus inconveniens. Quia illa paternitas quam habet Filius ad generandum aliud Filium, vel est ipsamet paternitas primæ Personæ, a qua est genitus, vel diversa. Si eadem, non potest communicari et convenire Filio, quia opponitur illi: generavit enim illum, et correlative se habet ad illum: et iterum si est eadem paternitas, generabit eundem Filium, non diversum, aut illum quem habet, non generavit perfectissimum, et infinitum, quia alius restabat ei generandus. Si est diversa paternitas a paternitate primæ Personæ, hoc est impossibile, tum quia ista paternitas et paternitas primæ Personæ non sunt relationes oppositæ, nec correlative: ergo neque diversæ, quia ubi non obviat oppositio, omnia sunt unum in divinis, sicut spiratio activa et paternitas,

sicut spiratio activa et paternitas, quia non opponuntur, unum sunt; tum etiam quia tunc prima paternitas non esset infinita, quia non generaret totum quod generabile est in Deo: relinqueret enim locum alii paternitati, et alii filio generando, et sic non esset summa et infinita paternitas in ratione patris.

XXIII. Ad secundam confirmationem respondetur, quod habere esse ab alio communicatum non repugnat ei quod est habere esse a se increatum, quia per has processiones communicatur illudmet esse quod est in suo principio, non aliquid extra Deum; et sic non communicatur aliquid esse factum, sed illudmet divinum quod est in Deo: illud autem non est factum, sed a se, et sic communicatur esse a se, non a se, id est, non communicatum, sed a se, id est, non factum, sed illudmet non factum communicatur per processionem ad intra, non per creationem ad extra.

Ad id quod dicitur has Personas identificari cum essentia, et sic non per processionem habere esse divinum, si habent per identitatem, respondetur has Personas identificari cum essentia, non quomodo-cumque, sed ut procedentes, et simul cum ipsa processione, si quidem talem Personam esse procedentem est nota characteristicam ipsius qua dignoscitur, et distinguitur ab alia non procedente, vel non sic procedente, et sine qua processione non potest multiplicari in Deo realis relatio, ut postea dicitur. Unde repugnat quod relatio Filii identificetur cum essentia, nisi ut procedens a Patre. Talis ergo communicatio, et processio non repugnant cum identificatione, nec est inconveniens filiationem esse identificatam cum essentia, quia ei non opponitur, et hanc essentiam cui identi-

ficatur habere per processionem, et communicationem, quia relatio procedentis est, et sic identificationem habet ut procedens. Unde in illo signo in quo intelligimus essentiam in Patre, intelligimus in illa essentia identificatam Personam Filii, et Spiritus sancti, distingo; si in illo signo intelligamus etiam Filium, et Spiritum sanctum procedentes, concedo; si nondum intelligamus procedentes, nego, quia si non intelligimus procedentes, nec ut Filium, et Spiritum sanctum intelligimus. Si autem jam in illo signo intelligimus Filium identificari ut procedentem, et non absolute: non ergo contrariantur habere essentiam per identificationem, et communicationem, si id quod identificatur, ut procedens, et communicans identificatur, et non alio modo.

XXIV. Quod vero dicitur productum debere esse posterius suo producente, dependens ab illo, et transiens de actu primo ad secundum, dico has condiciones convenire productioni imperfectæ, et per quam accipitur distinctum et diversum esse a suo producente. Ubi vero processio est ad habendum, et communicandum illudmet esse, quod est in suo principio a quo procedit, et cum quo ipse procedens identificatur, non interveniunt ibi conditiones istæ. Et sic non fit ibi transitus de actu primo ad actum secundum, sed est idem actus secundus, et actus purus, qui ibi communicatur, sine dependentia aut prioritate durationis vel naturæ, quia est idem esse in ipsa re procedente, et principio a quo procedit. Ipsa autem relatio procedens cum non habeat esse distinctum ab essentia, quia ei non opponitur, cum suo autem correlativo cui opponitur, et a quo procedit habet simultatem, quia relativa sunt simul natura; ideo ex nulla parte fundatur prioritas in

istis processionibus, sed solum ordo originis cum totali simultate, imo identitate in essentia; simultate autem in relationibus ut correlativa sunt.

XXV. Secundo, potest ostendi repugnantia ex parte naturæ divinæ ad processionem istas, et pluralitatem Personarum ex aliquibus conditionibus requisitis ad veram processionem, et pluralitatem Personarum, repugnantibus autem Deo, v. g. quia generatio est mutatio, et quæcumque productio mutatio quædam est, mutabilitas autem repugnat naturæ divinæ. Item non potest eadem numero natura communicari a Patre alteri supposito, neque illa recipi, seu poni in illo, quia primum si fit per transfusionem naturæ in aliud suppositum, desinet esse in Patre, si per exuberantiam aut extensionem in aliud, ponimus divisibilitatem, aut partes et augmentum in essentia divina. Secundum autem repugnat ipsi supposito procedenti, quia sic esset in potentia ad naturam quam recipere, et distingueretur ab illa, quia nihil recipit se. Item si plures Personæ sunt unus Deus, ille unus Deus est ratione suæ deitatis subsistens, cum fit perfectissima forma, non incompleta, vel inhærens: forma autem subsistens intellectualis est persona; conveniunt ergo Pater et Filius non solum in una natura, sed in una persona, eruntque quatuor personæ in Deo, quod est hæreticum.

XXVI. Confirmatur, quia duobus correlativis invenitur dependentia unius relativi a suo correlativo, ut a termino; invenitur etiam diversitas prædicatorum, quæ exigunt diversam essentiam: Pater enim est Deus ingenuus et generans, Filius est Deus genitus et non generans, paternitas est incommunicabilis, essentia communicabilis: ergo Fi-

lius et Pater non possunt esse unus Deus, nec essentia, et Persona una res. Nec enim possunt esse in Deo istæ relationes, nisi sint aliquid divinum et ipsa divina essentia. Divina autem essentia est communis Patri et Filio: ergo si ipsa relatio est divina essentia, relatio erit communis, sicut essentia, aut si communis non est, et tamen in eo in quo non est communis, est res aliqua, erit res, quæ non est essentia divina. Et dato quod in ratione relationis oppositæ sint diversæ relationes, et diversæ res, tamen istæ relationes debent fundari in aliquo absoluto, et illud absolutum vel est unum, vel diversum. Si diversum, dividetur essentia divina; si unum non potest fundare plures et oppositas relationes, quia diversitas relationum ex fundamentis sumitur.

Respondetur hæc omnia argumenta solvi a D. Thoma IV contra gent. c. XIV: ex ejus doctrina non est difficile ad illa respondere.

XXVII. Ad primum ergo de mutatione, dicimus generationem esse mutationem quando procedit de potentia ad actum, quæ est generatio imperfecta, et prout invenitur in creaturis. Si autem non transfertur in Deum, sed semotis imperfectioribus, et solum quantum ad rationem processionis viventis a vivente in similitudinem naturæ, sine ulla potentialitate, sed transeundo de actu secundo ad actum secundum, quia est Deus de Deo, et lumen de lumine, sicut etiam sapientia, et justitia ponuntur in Deo, non per modum qualitatis et accidentis, sicut sunt in nobis, sed his imperfectioribus remotis.

Ad secundam partem argumenti dicitur, quod Pater non communicat Filio partem naturæ, quia divinitas non habet partes, sed est simplicissima entitas, sed totam suam naturam communicat. Nec tamen

desinit esse in Patre, quia non communicatur Filio ut supposito, seu personæ extraneæ, sed quæ est idem cum ipsa essentia divina. Et sic cum essentia divina ob suam infinitam eminentiam omnes relationes, et Personas in se identificet eo modo quo in se sunt, scilicet ut procedentes, quia sine processione distinctæ esse non possunt, communicatio naturæ, quam Pater dat Filio procedenti, non tollit a Patre naturam quam communicat Filio, sed in ipso manet. Illa autem natura sic communicata non recipitur in Filio, quia non comparatur ad illum ut forma ad materiam, vel actus ad potentiam, sed ut actus purus continens omnem perfectionem, quarum una est relatio illa realis ut opposita suo correlativo, et procedens ab illo, et identificata cum ipsa divina natura, non illam recipiens, quia si esset receptibilis, non esset actus purus.

Ad tertiam partem argumenti dicitur, quod essentia divina secundum se etiam est res subsistens, sed non Persona, ut expresse docet S. Thomas IV contra gent. c. XIV, in solutione quintæ rationis, et nos infra dicemus. Quia persona non est quodcumque subsistens in natura intellectuali, sed subsistens incommunicabiliter respectu ulterioris termini. Natura autem divina communicatur ulteriori termino, scilicet Personis, seu relationibus, et pro ista parte non est persona. Est autem subsistens, quia habet esse per se, nec se habet per modum formæ incompletæ, inhærentis, aut informantis, vel ab alio in suo esse dependentis, sed in se est plenum, et perfectum esse, et per se existit, non per Personas, et hoc sufficit ut dicatur subsistens, scilicet per se existens, licet non per modum personæ incommunicabilis. Et sic non sunt in Deo quatuor Personæ.

Ad confirmationem respondetur, quod relatio in Deo non est dependens neque quantum ad esse, quia suum esse est ipsa substantia Dei, non adveniens illi; neque quantum ad exercitium respiciendi et rationem ad, quia ad ut ad, seu relatio ut respiciens, non habet esse a termino, quia potius illi relative opponitur; nec causatur ab eo, quia potius relativa sunt simul natura, non unum prius altero: si autem unum dependeret ab altero, esset posterius illo in eo in quo dependet. Habet ergo relatio cum suo termino connexionem, et correspondentiam, non dependentiam, sicut etiam essentia habet connexionem cum suis propriis passionibus, non dependentiam ab ipsis, quia ad dependentiam requiritur connexio cum potentialitate, et imperfectione habendi aliquid ab alio ut indigens illo quoad suum esse, et inferius illo.

Ad aliam partem argumenti respondetur illam diversitatem prædicatorum non postulare diversam essentiam, sed diversam relationem, quia illa oppositio prædicatorum est relativa. Et sic Deus generans, et Deus genitus sunt idem Deus essentialiter, non idem personaliter, scilicet quantum ad id in quo opponuntur relative generans et genitum, non quantum ad id quod sunt in natura. Et eadem res, quæ est essentia, est communicabilis quoad naturam, est incommunicabilis quoad relationem propter eminentiam ipsius divinæ essentiæ, quæ cum sit infinita, in se unica existens omnia genera continet perfectionum seu rationum ei non repugnantium. Et sic continet genus relativum, quod de se dicit incommunicabilitatem suo correlativo, cui opponitur. Ergo hoc ipso quod divina essentia admittit in se relationes, debet sub aliqua consideratione admittere incommunicabilitatem, et

sub alia communicabilitatem, sed hoc facit divina substantia unica existens, quia propter suam infinitatem implet munera plurium, quæ apud nos sunt.

Et ad instantiam, quod si relatio, seu persona est essentia, et essentia est communis, persona erit communis. Negatur consequentia, quia mutatur quid in ad aliquid, reduciturque ad defectum appellationis. Cum enim divina essentia, licet simplex sit, propter suam tamen eminentiam æquivalenter sit multa, perinde est ad consequentias procedere a formalitate relativi ad absolutum, vel e contra, ac si essent plura in re formaliter, quia in consequentiis non attenditur realitas, sed formalitas. Est ergo illa unica res, quæ est essentia divina, et communis sub consideratione essentiæ, et non communis sub formalitate personæ, licet unicum simplicissimum sit natura, et persona in esse rei. Et quando dicitur quod illa relatio, etiam in quantum non communis, est res aliqua, respondeo quod est re ipsa quæ est essentia divina, non res extra essentiam divinam; sed res illa, quæ est essentia divina, non est solum res communis, seu communicabilis, sed etiam est res quæ est incommunicabilis, id est, relatio, quia sua infinitate totum hoc complectitur, et genus absolutum, secundum quas perfectiones est communis tribus Personis, et genus relativum, secundum quod illam res quæ est essentia, non est communis, sed opposita correlativo: id enim exigit ex sua essentiali ratione genus relativum, quod necessario est ad alterum sibi oppositum, et a se distinctum. Et tamen omnes illæ relationes sunt unum in esse et substantia, quia unica substantia infinita est sufficiens dare esse pluribus relationibus, quas in sua eminentia continet.

Et ad id quod dicitur de fundamento respondetur, quod illæ relationes habent fundamentum absolutum quod est unum entitative, scilicet ipsa divina essentia secundum operationes intelligendi, et volendi, quæ in re sunt, sed eminenter plura, ita quod ex fœcunditate sua fundare possunt plures relationes secundum diversas processiones et origines. Quod in creaturis esse non potest, quia non potest una essentia esse infinita eminenter, et diversa ista fundamenta continere. Et tamen videmus quod una res materialiter una, diversas relationes fundat, ut eadem quantitas rationem æqualis, relationem similis ad aliam quantitatem ejusdem speciei, relationem mensuræ, aut mensurati ad ea quæ per talem quantitatem mensurantur, vel eam mensurant.

NON CONTRARIATUR PRINCIPIIS LUMINIS NATURALIS HOC MYSTERIUM.

XXVIII. Ex tertio capite supraposito objicitur contra hoc mysterium, quia ejus positio destruit principia ipso lumine naturali evidentia, quod stare non potest: sic enim fides conaretur inducere aliquid repugnans: Deus enim qui est auctor naturæ, et principia naturalia nobis indidit, non destruit illa per mysterium suæ divinitatis. Positio autem hujus mysterii in primis destruit illud principium quod duo contradictoria non possunt de eadem re simul verificari. In hoc autem mysterio verificantur, quia eadem prorsus res simplicissima admittit contradictoria prædicata, v. g. quod sit simul communicabilis et incommunicabilis res, quæ est essentia, sit principium ingentum quod est Pater, sit genitum quod est Filius. Nec sufficienter respondetur per eminentiam infinitam divinæ es-

sentia, quia nulla eminentia, quantumcumque infinita, potest duo contradictoria verificare de eadem re a parte rei, quia ex ipsis terminis repugnant duo contradictoria simul in quacumque natura; id enim quod affirmatio ponit, negatio tollit. Nec sufficit de eadem re sub diversis formalitatibus, et considerationibus verificare duo contradictoria, quia negatio quæ cadit sub aliquam rem a parte rei, non sub formalitatem, et considerationem nostram cadit, sed absolute; et sic tollit absolute quod affirmatio ponit.

Secundum principium naturali lumine notum, quod destruit hoc mysterium, est illud: Quæcumque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, super quod tota ratio syllogisticæ artis fundatur, et omnis firmitas illationis, et consequentiæ. Hoc autem principium negatur in hoc mysterio, quia tres Personæ sunt unum et idem in essentia divina: inter se autem differunt, et unum non sunt.

Tertium principium est: Per eandem entitatem qua aliquid constituitur, differt ab aliis. Hoc principium destruitur in hoc mysterio, quia paternitas constituitur per essentiam divinam, cum non habeat aliam realitatem, et entitatem, quam divinam, et intra Deum sit, et differt realiter a filiatione, nec tamen differt ab illa per essentiam divinam, quia in hac convenit cum Patre. Quid est ergo illa realitas in qua differt ab alia Persona, si non est divina essentia, seu divina entitas? Quia in hac conveniunt, creata vero entitas esse non potest, quia intra Deum nihil creatum dari potest.

Quartum principium lumine naturali notum, est quod: Ubi est ordo processionis, et originis unius ab alio, non potest esse simultas naturæ, licet possit esse simultas

in duratione, et tempore. Si enim sunt simul natura, non est major ratio cur iste procedat ab illo, quam e converso; in tempore autem possunt esse simul, quia in productione instantanea potest esse simul causa, et effectus. In hoc autem mysterio Pater et Filius sunt simul, non solum duratione, sed etiam natura: habent enim eandem naturam, et tamen dicitur Filius procedere a Patre. Si ergo sunt simul natura, cur potius dicemus Personam Patris producere Personam Filii, quam e contra? An quia iste est Filius, et ille Pater? Sed de hoc est difficultas, cur potius iste sit Filius, quam Pater, cum utraque Persona simul, et per identitatem sit eadem essentia, et ejusdem virtutis, et potentia? Et sic non est major ratio ex parte naturæ, et virtutis, cur unus producat, quam quod producat. Diversa autem relatio, in uno Patris, in altero Filii, non potest intelligi, nisi antecedenter ad relationem aliqua diversitas sit in una Persona, quæ non sit in alia, ut possit illam diversam relationem fundare. Præter relationes autem nihil diversum invenitur in uno, quam in alio, quia præter relationes, quidquid restat est absoluta perfectio, et omne absolutum est unum et idem in omnibus Personis.

Et hinc nascitur quintum principium, quod destruitur: Quia nulla res producit suummet esse, aut per processionem illud communicat, sed si producit, diversum esse a se producit. In hoc autem mysterio Pater producit Filium, et Filius per processionem a Patre habet esse, et tamen illud esse quod habet non est esse productum, sed est illudmet esse quod habet Pater, scilicet divinum, et Filius dicitur genitus, et tamen esse quod habet non est genitum, sed est ipsa divina essentia. Et realitas illa relationis in ratione